



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib.
XII**

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Conuerso, qui angelum frequenter vidit, & dicendo gratiam perdidit,
cap. 43.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13177

CAPUT XLIII.

Conuersus quidam de Hemmenrode, cuiusdam eiusdem domus grangiæ magister erat, vir bonus ac disciplinatus: iuxta hunc, cum exiret ad opera manuum, siue ad negotia domus sue, alias quidam simplex Conuersus angelum Domini ambulanten frequenter vidit, quod cum retulisset domino Hermanno Abbatii suo, referenti respondit: *Quia visionem retulisti, nunquam angelum de cætero videbis.* Quod ita factum est. **APOLLONIUS:** Non videtur mihi frater iste deliquisse, si sibi diuinitus reuelata Abbatii proprio manifestauit. **CÆSARIUS:** Satis puto quod non absque aliqua cordis iactantia Conuersus visionem eandem recitauerit: & quia *Hoc Abbas considerauit, quod futurum aestimabat, predixit:* erat enim vir prudens & literatus, ante conuerzionem sanctorum Apostolorum in Colonia Decanus. **APOLLONIUS:** Cum quilibet homo duos habeat angelos, ut dicas, sibi deputatos, bonum ad suggestendum bonum, & malum ad suggestendum malum, quid est, quod tam facile hominis voluntas angelo malo consentit ad peccatum? Est ne bonus in consilijs efficacior, & ad vim inferendam valentior?

CAPUT XLIV.

CÆSARIUS:

Licet homo habeat angelum bonum ad custodiendam, & malum propter exercitium, neuter tam libere men illorum voluntati humanæ vim inferre peccare, revaleret, ut propter illius consilium violenter inclinetur ad bonum, siue ob huius suggestionem trahatur ad malum. Contulit Deus homini liberum arbitrium. **APOLLONIUS:** Quid est liberum arbitrium? **CÆSARIUS:** Facultas voluntatis & rationis, qua eligitur bonum assistente gratia, malum vero desistente gratia. Liberum dicitur, propter voluntatem, quæ libera est, & sine necessitate: Arbitrium, propter rationem, quæ ea quæ voluntas appetit, arbitratur & discernit. Et licet ratio saepe voluntate sequatur ad peccati consensu, nūquā tamē approbat malū. *Quod vero voluntate*